

DE PROBATIONI-  
BUS ET PRÆSUMPTIONIBUS,  
DE FIDE INSTRVMENTORVM,  
ET DE TESTIBUS.

DISPUTATIO. XXIIII.

*Ex ff. libro 22.*

D. DIONYSIO GOTHOFREDO  
*J.C. & LL. Antecessore in Academia*  
*Argentinensi, Praefide:*

PHILIPPO REYSERO MARPV.  
gense, Respondente.

Disputabitur 3. Septemb.



ARGENTORATI,

*Typis Josia Ribeli, per Andream Retschium.*

ANNO CHRISTI M. DC. III.

*Magnificis, Amplissimis, Clarissimisq;  
Fratribus Germanis*

Dn. CHUNRADO PISTORIO  
ICto & AEdis Teutonicæ, Marpurgi quæ est, Ad-  
vocato excellentissimo:

Dn. JOANNI PISTORIO IL-  
lustriss. principis ac D. D. Ludovici junioris Hassiæ  
Landgravij &c. Cancellario præstantissimo:

Dominis avunculis suis, omni honoris  
ac observantia studio colendis,

Hanc de probationibus disputationem  
Literarij exercitij symbolum: Perpetua  
observantia testimonium

Dicat Consecrat

Respondens.

# De Probationibus, & Præsumptionibus.

## THESIS I.



ROBATIO est actus Judiciarius quo litigator de intentione controversa fidem judici facit.

2. ¶ Probationum aliæ artificiales sunt, aliæ inartificiales: quarum utræq; vel plenè vel semiplenè (ut Dd. loquuntur) rem judici probam certamq; faciunt.

*Robert. 4. sent. c. i. Sich. ad rub. C. b. nu. 4. & 5.*

3. ¶ Artificiales ex ipsa actionis causa dimanant, Et agitur de ijs in tit. 3. propositi digestorum libri 22. Inartificiales extra causam depromuntur. Et agitur de ijs in tit. 4. & 5. Eod.

4. ¶ Videamus primò de d. tit. 3. Cujus præcipua quæstio hæc est, Cuinam incumbat probatio? Resp. Intendentí seu asseveranti, non item neganti.

*I. 2. ubi Bart. l. 12. 13. §. 1. 19. in pr. 21. cū seq. ff. b. t. L. l. 23. ubi items Bart. C. Eod. l. asseveratio C. de non num. pec. Negationem tamen meram intelligimus, non eam cuius ratio aliqua redipore est: cui affirmatio est Implicita, quam pregnantem vocat. §. n. Inst. de Inutil. stip. l. 8. ff. hic.*

5. ¶ Materia probationum sunt tam juris quam facti quæstiones in judicio motæ. *I. ab ea 5. ff. & l. five 16. C. b. t.*

6. ¶ Eatum tamen non notoriæ probandæ sunt, sed incertæ & ad causam spectantes, quæs relevantes & pertinentes appellant.

*L. 10. 17. 21. 22. ubi Dd. C. b. Vnde hodie graviter peccatur dum clausula illa, Salvo Jure Impertinentium & non admittendorum, adiecta articuli qui vis sine discrimine in foro recipiuntur arg. l. 1. & auth. in isto. C. de Juram. prop. cal. dan. Gail. 1. obf. 81.*

7. ¶ Probationes autem regulariter post litem demum contastam, <sup>a</sup> Et quidem ante terminum, à Judice ad id præfixum, elapsum <sup>b</sup> institui debent.

<sup>a</sup> *t. t. Ext. ut lit. non contest.* <sup>b</sup> *l. 1. ubi Dd. C. de dilat. Mascard. vol. 3. concl. 1229. de probat.*

8. ¶ Et si quidem affirmans plenè probat res ita expedita est, ut judex ad causæ dissinitionem venire possit. Si semiplenè securus est,